

131

consentiens est doctorum Virorum opinio. At in prima illâ Coloniarum deductione, quæ ex lege Triumvirali facta est, Pisaurum Coloniam deduxit Antonius, vel alius ejus auspiciis, ut ex Plutarcho mox apparebit, non Augustus. Reliquum est igitur, ut Julia Pisarenfis Coloniz deductio Divo Julio sine controversiâ assignanda sit. Id vero Pisarenfium gloriam mirifice amplificat, non solum quia Coloniz huc deductæ Conditorum, & Parentem asserit Virum dignitate, doctrinâ, bellicâ virtute maximum, verum etiam quia vel ex hoc Pisarenfis Urbis amplitudinem evincit, quum ex funebri oratione, quam Antonius de laudibus Cæsaris ad populum habuit apud Dion. lib. XLIV. constat Colonias a Cæsare deductas fuisse *majores iis Urbibus, quarum illi (Æneas nempe, ejusque nepotes, posterique) Reges fuerint.*

Sed quoniam Colonias Pisaurum deductas memoravimus, non abs re erit postremam hanc ab Antonio adscriptam ex Plutarcho recensere; mox vero ipsum Plutarchi locum, qui toties ab iis qui de Pisauro scripserunt, non sine aliquo doctorum stomacho ingeritur, expendere. Ait itaque Plutarchus in Antonio. *Prodigia ante bellum (Actiacum nempe) hæc ferunt fuisse: Pisaurum urbs non longe ab Hadria, in quâ Antonius Colonos adscripserat, terræ hiaribus absorptum est.* Cæsare occiso Senatusconsultum opera Antonii factum est de Colonis deducendis. Appian. Civil. lib. II. eas tamen deductas non fuisse, ex oratione Octaviani ad Antonium, ejusque responsione apud eundem Appian. lib. III. constat. Inità demum Triumviratus conjuratione, statim III Viri Colonias, quæ debebantur adhuc, exercitui promiserunt, & Urbes illi in prædam dividendas nominatim proposuerunt. Appian. Civil. lib. IV. *Et quo alacrior redderetur exercitus post proposita victoria præmia, præter alia donativa, promissa sunt eis XVIII. Italicarum urbium tam opibus, quam agri bonitate, ac edificiorum pulchritudine præcellentium, quarum urbana, ac rustica prædia non secus, quam bello capta dividerentur.* His promissionibus devincto milite, ad bellum contra Brutum, & Cassium Antonius simul & Augustus profecti fuerunt: quo feliciter profligato *ad persolvenda præmia, ut ait Appian. Civil. lib. V. profectus est Imperatorum alter (Augustus) in Italiam, ut agros militibus divideret, hoc enim elegit propter valetudinem: Antonius vero transmarinas provincias petiit collecturus pecunias, quas eis promiserant: idem tradit & Dio lib. XLVIII. Ut primum Augustus*

R 2